

Mezereon
aceto infus.

Ciminū a-
ceto macer.

Maceratio
aceto infus.

Scyllæ succo, aut Raphani infusus, à iuncturis potè
ter trahit: & Agaricus Oxymellite maceratus fit pur-
gantior. Hæc Mesue, Sic & Mezereon, idest Chame-
læ folia aceto per diem infusa, & postea exsiccata,
meliora, vt Mesue; à quibus fibræ illæ auferendæ ve-
niunt, imperante Dioscoride. Sic excellentius Ci-
minum euadit per diem, & noctem maceratum, vt
Haly 10. Pract. c. 16. & Serap. de Antid. sit autem
acetum maximè acre, sicuti præcipit Gal. 4. de sa-
nit. tuen. cap. 5.

De Assatione, et Torrefactione.

Cap. XXXIII.

Assatio quo
pacto fiat.

Mesue in
Can.



SPECIEM Decoctionis esse Assationem
absumpto humido superfluo ab igne
fuscitatum, decreuit Mesue; in qua ta-
men coctura omnino non absimitur
propria humiditas medicamenti. Hæc fit frixorio,
vel patella, quæ nunc virtutem medicamenti adauget, vt
assata Scylla: nunc minuit, vt Psyllium assatum minus pur-
gat, & multa assatione fiunt meliora: Quandoque virtu-
tem purgandi reprimit, & adstrictoriam intendit, vt in Rha-
barbaro, & Myrobalanis.

Scylla quo-
modo asse-
tur variè.

Scyllæ assandi modum cecinit Andromachus
narrante Gal. sic:

Inde Capillato Scyllam cum cortice sumptam

Pulte linas, media constituasq. foco,

Ac cineris rutili cumulos superingere, donec

Reddatur Scyllæ mollius igne caput,

Signa

Signa dabit feruens positos cum discutit ignes,

Excute, & ut leues dempseris exuuias.

Modum etiam ante oculos nobis posuit Gal. lib.

I. de Antid. c. 9. sic: Principio Scyllam succulentam de terra euellas, cuius folia, & scapus aruerint penitus; huic deinde cortice detracto duriores pulcriculas induces ex tritico nouo, quantumque fieri potest, exquisitè confectam, ipsam postea multo, calidoque cineri subiectam non prius extrahes, quoadusque circumposita pulcrica crusta planè fiat. Quod si, ubi hæc agis, furnus aliquis adsit, una cum pane Scyllam illuc inferre potes, inde cum obducta iam exaruit, ipsam extrahas. Docuit etiam nos hunc Dioscor. lib. 7. c. 140. modum. Præterea & hæc addit: Torretur item in olla indito operculo, quæ in furnum dimittatur. Sumi etiam solet medium, direptis uinotenus tunicis, quod frustatim confectum coquitur, mutata sæpius aqua, donec ipsa nec amaritudinem, nec acrimoniam habeat, traiectaque lino frusta siccantur in umbra, ita ut ne ulla quidem parte se contingant. His Scyllæ segminibus ad oleum, vinum, & acetum Scyllinum utimur.

Myrobalanorum assandi rationem narrat Albucasis sic: Imbibe illas succo Cydoniorum, aut Granatorum acetosorum, aut Vuae acerbæ; deinde exsicca eos benè, & madesce in Oleo rosato, vel Butyro: deinde assa super patellam ferream, vel testem calefactam primò, & caue, ne adurantur. Qui deinde instituit viam omnia femina, & grana adurendi, his verbis: Accipe patellam ferream, aut terream, aut aeneam, aut lebetem cum lato orificio, & calefac eam benè; deinde aufer ab igne, & statim, ac citò superpone semina, & commisce, donec videbis assationem perfectam.

Myrobalanos assandi modus.

Myrobalanos assandi modus.

Cuminum
quomodo
affetur.

fectam. Sic quoque affatur Tragacanthum, & Gummi Arabicum in frustula dissectum, quousque albescat. Galenus quoque interdum assabat & radices, & herbas, & semen, vt Erysimi, 7. Comp. quæ potius frixa laudat, quam assa. & ideo loquens de Cumino hæc: *Cuminum aceto maceratum continuo tunditur, aut etiã prius modicè frigitur in vase fictili, quod coctum in camino quam optimè sit. Quæ enim exactè, penitusq. cocta non sunt, hæc lutosa potius, quàm figulina sunt, & qualitibus suis medicamenta remittunt. Potest ne adinueniri maior diligentia, quàm hæc Galeni, qui etiam fictilia quænam optima sint, nos docet?*

De Vstione, et Combustione. Cap. XXIV.



Comburen
di modus.

NON leue discrimen posuit Arist. lib. 4. Meteorol. inter Assationem, & Vstionem; quæcumque enim assantur, internè aliquam humiditatem seruant: at quæ comburuntur omnino illa priuantur. Et ideo Gal. lib. 5. secundum loc. c. vlt. terminum adustorũ medicamentorum præfixit esse, cum neque fumosum, neque vaporosum ab ipsis effertur; quæ sunt certa indicia penitus illorum humiditatem cõsumptam fuisse. Modum adurendi multa ante oculos ponit eodem loco dicens: *Contundito, vt massa friabilior euadat, quæ in ollam nouam coniecta, illam figulino luto obturato: operculum adaptetur circa medium perforatum, quo per ipsum foramen rudicula imposita pharmacum super prunas impositum agitur. Comburebat præterea & Viperas,*